

Universitätsbibliothek Wuppertal

Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>

Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.

Extravagantes

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1733)

¹⁰ *Hinc sumpta est anth. 10. omnes. C. commun. de success.* **¶ Omnes** peregrini & aduena liberè hospitentur vbi voluerint; & hospitati, si testari voluerint, de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem: quorum ordinatio inconcussa seruetur. Si qui verò intestati decesserint, ad hospitem nihil perueniat: sed bona ipsorum per manus episcopi loci tradantur heredibus, si fieri potest: vel in pias causas erogentur. Hospes verò si aliquid de bonis talium contra hanc constitutionem nostram habuerit, triplum episcopo restituat, cui visum fuerit assignandum: non obstante statuto aliquo, seu consuetudine, seu priuilegijs, quae hactenus contrarium inducebant. Si qui autem contra praesumpserint, eis de rebus suis testandi interdiciamus facultatem: vt in eo puniantur, in quo deliquerint: alias prout culpae qualitas exegerit, puniendi.

¹¹ *Hinc sumpta est anth. agricul. Cod. qua res pigno. oblig.* **¶ Agricultores**, & circa rusticitatem occupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint quacunque parte terrarum: ita vt nullus inueniatur tam audax, qui personas, vel boues, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit quod ad operam rusticalem pertinet, inuadere, capere, aut violenter auferre praesumat. Si quis autem huiusmodi statutum ausu temerario violare praesumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamiam ipso iure incurrat, imperiali animaduersione nihilominus puniendus.

¹² **¶ Nos** verò Honorius episcopus, seruus seruorum Dei, has leges à Friderico Romanorum Imperatore filio nostro charissimo pro vtilitate omnium Christianorum editas laudamus, approbamus & confirmamus, tanquam in aeternum valituras, & si quis ausu temerario, inimico humani generis suadente, quocunque modo has infringere tentauerit: indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum se nouerit incursum.



EXTRA VAGANTES, QVAS NON nulli x i. collationem appellant.

QVOMODO IN LAESAE MAIESTATIS CRIMINE PROCEDATUR.

Tit. I. vel, Tit. XIX.

Henricus septimus, diuina fauente gratia Romanorum Imperator, semper Augustus.

Adreprimendum multorum facinora qui ruptis totius debite fidelitatis habenis, aduersus Romanum imperium, in cuius tranquillitate totius orbis regularitas requiescit, hostili animo armati conantur nedum humana, verum etiam diuina praecpta, quibus iubetur, quod omnis anima Romanorum principi sit subiecta, scelera tissimis facinoribus & affiduis rebellionibus demoliti: ne ex eorum absentia, in detestando laesa maiestatis crimine processus & sententia retardentur, & tanti sceleris nefanda temeritas remaneat impunita: Hac edictali, Deo propitio, perperud valitura lege sancimus, vt in quocunque laesa maiestatis crimine, & maxime vbi contra Romanorum imperatores vel reges aliquid quod dictum tangat asseratur commissum, possit procedi per accusationem, inquisitionem, seu denunciationem, summarie & de plano, sine strepitu, & firmitate iudicij, prout illi qui iurisdictioni praestabitur rationem, quae expedire. Ad hoc, si qua communitas, corpus, vel collegium, vel alia quauis persona, cuiuscunque status, dignitatis, vel conditionis existat, super dicto crimine per nuncium, vel per literas, seu etiam per edictum publice propositum citata, vel citatum neglexerit in termino personaliter vel legitime comparere: contra ipsam vel ipsum

¹⁰ Pragmatici vocant secrete in forma rationem, quae de 8. Clarum sent. 8. str. q. 6. 7. 8. 9. 10. 21. 20. 21.

¹⁰ **80** periunde ac si praesentialiter omnibus interesset, vel his foret legitime contestata, tam ad receptionem testium, & eorum publicationem, & sequetia, quam ad definitiuam

sententiam, & eius executionem procedatur: legibus & consuetudinibus non obstantibus quibuscunque. Hanc autem generalem legem nostram extendi iubemus ad praeterita, praesentia & futura: quam legem ex nunc abstrahere, & l. 7. Co. de que alterius temporis expectatione transcursum sum in legibus. tegrum vigorem decernimus obrinere.


QVI SINT REBELLES.

Tit. I I. vel, X X.

Idem ad perpetuam rei memoriam.

VONTIAM nuper est ad auditum nostrum deductum, quod inter nonnullos fideles & subditos nostros provinciae Lombardia, aliorumque locorum Italiae disceptationes & dubia saepius oriuntur, an infidelis & rebellis imperij quisquam reputari debeat, nisi prius per nostrae maiestatis sententiam condemnatus appareat: & nos attendentes quod acta praua malorum potius quam verba sententiarum ipsos faciunt poena condignos, & eo ipso quod quis peccat, correctionem meretur: & quanto plus differtur punitio, tanto amplius culpa crescit, & gentibus perniciosius in exemplum transit. Tenore praesentium declaramus, decernimus, & pronuntiamus, quod illi omnes & singuli sunt rebelles, & infideles nostri imperij, qui quomodocunque publice vel occulte contra nostrum honorem & fidelitatem rebellionis opera faciunt, & contra nostri imperij prosperitatem aliquid machinantur: contra nos, seu officiales nostros, in ijs quae ad commissum eis officium pertinent, rebellando. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam declarationis & pronuntiationis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem nostram, & poenam mille librarum nostrae camerae soluendarum se nouerit incursum. Data Pisis IIII. Nonas Aprilis: regni nostri anno quinto, M. CCCXII.

¹⁰ **Qui** sint rebelles. per insidias. ¹⁰ **addo l. 5. Co. ad l. iul. maie. stat. 8. Clarum sent. 8. laesa maie. in ver. si. quare etia.**



LIBER DE PACE CONSTANTIAE COMPOSITA

INTER IMPERATOREM FRIDERICUM & filium eius Henricum, & quosdam nobiles Alemannie ex vna parte, & ciuitates Lombardia, Marchiae, & Romandiolae, ex altera.

Tit. I I I. vel, X X I.

IN nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis: Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, & filius eius Henricus, sextus Romanorum Rex, Augustus. Imperialis clementiae immensa serenitas mansuetata, eam semper in subditis suis dispensationem fauoris & gratiae habere consuevit, vt quamuis districta seueritate excessuum delicta debeat & possit corrigere: magis tamen studeat propitia tranquillitate pacis & pijs affectibus misericordiae Romanum imperium regere, & rebellium insolentiam ad debitam fidem, & debitae deuotionis obsequium reuocare. Ea propter cognoscat vniuersitas fidelium imperij tam praesentis aetatis, quam successiuae posteritatis, quod nos solita benignitatis nostrae gratia, ad fidem & deuotionem Lombardorum, qui aliquando nos & imperium nostrum offenderant, viscera nobis innatae pietatis aperientes, eos & societatem ac fautores eorum in plenitudinem gratiae nostrae recipimus, offensas omnes & culpas quibus nos ad indignationem prouocauerant, clementer eis remittentes: eosque propter fideliam deuotam sinceritatis seruitiam, quae nos ab eis credimus certissime recepturos, in nu-

¹⁰ **haec** constitutio promulgata est Constantij in conuentu principu: vt & constitutio posita 2. feud. 53. Roncaliae.